MASTER NEGATIVE
NO. 93-81606-16

COPYRIGHT STATEMENT

AUTHOR:

PEIL, OTTOMAR

TITLE:

ANIMADVERSIONUM CRITICARUM

PLACE:

HELIS SAXONUM

DATE:

1864

Master Negative #

93-81605-16

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Peil, Ottomar,
Aninadversionum criticarum in Q. Horatii Flacci Odarum librum secundum specimen; dissertatio inauguralis philologica quam... publice defendet auctor Ottomarus Peil... Halis Saxonum, formis Ploetzianis, [1864]
31 p. 21 cm.

Thesis, Halle, 1864.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm
REDUCTION RATIO: 10x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7-22-93
INITIALS SS
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

ANIMADVERSIONUM CRITICARUM
IN
Q. HORATII FLACCI
ODARUM LIBRUM SECUNDUM
SPECIMEN.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI
PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI
CONSOCIATA
AD SUMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
DIE IV. MENSIS IULII MDCCCLXIV
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

OTTOMARUS PEIL
GLOGOVIENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
GUIL. STUDEMUND, DR. PHIL.
KNOBLOCH, STUD. PHIL.

HALIS SAXONUM.
FORMIS PLOETZIANIS.

PRAEFATIO.

Etsi Horatius in odis et epodis Pindarum, novem illum quidem lyricorum Graecorum longe principem, nec sublimitate nec ubertate assecutus est, tamen lyricis Graecis libere, non serviliter imitandis [1]) id effecit, ut inter Romanos haud inferior exsisteret quam Pindarus inter Graecos [2]). Neque minus in satiris et epistolis profecit, ut hic quoque inter cives suos principatum teneret. Jam vero si reputaveris, quantopere differant illa poematum genera, siquidem satirae et epistolae tantummodo metro adstricti sermones sunt per humum repentes, contra odae et epodi cantus sublimes, eximiam ingenii Horatiani facultatem non poteris non suspicere, praesertim quum poeta etiam aetate longius provectus diversissimis illis poematum generibus, si non jam intentus, certe adhuc aptus fuerit. [3])

Sane Horatium, nisi ei poetae lyrici Graeci facem praetulissent, ad carmina lyrica componenda forsitan omnino non accessurum fuisse non infitior equidem, attamen eundem La-

1) Vid. Epist. I, 19, 19 sqq., quem locum plane non expendisse videntur, qui Horatium simiam Graecorum nuncupabant. Cfr. Th. Arnoldi, Abhandlung über die griech. Studien des Horaz. Halle 1856.

2) Cfr. Quintilian. institut. orat. X, 1, 61, 96.

3) Vid. Epist. II, 2, 58—63.

tina lingua primum et in difficiliora metra Graeca redigenda et omnino ad poesim lyricam accommodanda palmam tulisse et utraque ratione quum per egregiam sollertiam et raram assiduitatem, tum per Graecarum litterarum haud vulgarem scientiam[1]) summum evasisse artificem non magis licet negare. Itaque eum jam Ovidius[2]) sic collaudavit: „tenuit nostras numerosus Horatius aures, dum ferit Ausonia carmina culta lyra."

Horatius autem, quum non solum ingeniosissimus poeta, verum etiam peracutus philosophus esset, omnia non modo tanta facilitate, ut plurima cuipiam sua sponte fusa videri queant, sed etiam tam diligenti verborum et delectu et structura atque ita cogitate persecutus est, ut nihil reperias aut inelegans et inconditum, aut non suo loco positum et inconcinnum, aut otiose nulloque consilio dictum. Praeterea idem, quid quibusque vel personis vel rebus vel temporibus conveniens esset, unus omnium optime perspectum habebat, quare animi diversa ejus poemata legentium diverse quidem afficiuntur, sed nunquam non communi quadam voluptate perfunduntur, sive ad hilaritatem excitantur, sive ad severitatem componuntur. Denique poeta etiam multis figuris, nec minus audaciore verborum usu dictionem suam valde variavit, neque paucis cujusque generis praeceptis sapientissimis distinxit, quoniam non tantum delectare, sed et prodesse voluit.

Quae quum ita sint, neutiquam nobis mirandum videtur, quod Horatius jam a civibus suis in deliciis habitus[3]) usque ad hanc aetatem a cunctis peritis atque aequis judicibus ma-

1) Bernhardy, Grundriss der Römischen Litteratur. III. Auflage. pag. 529.
2) Trist IV, 10, 49 sq.
3) Vid. Epist. I, 19, 35 sq. I, 20, 23. Od. IV, 3, 13 sqq.

ximi aestimatus est. Sed quum ejusdem poemata jam permultum manibus Romanorum ac praesertim grammaticorum versarentur[1]), fieri non poterat, quin, quae erat imprimis horum hominum temeritas vel potius arrogantia[2]), admodum corrumperentur, quae corruptiones insuper inscitia librariorum quam maxime adauctae sunt. Tertium vero magnum incommodum Horatius hinc contraxit, quod, quamquam vitio obscuritatis minime tenebatur[3]), non ita raro tamen reconditiore quodam dicendi genere usus est, intellectui eo quidem non protinus patente, ita ut jam Quintilianus[4]) confessus sit: „et Graeci licenter multa et Horatium in quibusdam nolim interpretari." Unde factum est, ut vel critici primarii persaepe elegantissima poetae nostri verba secus intellecta immutarent aut depravarent atque adstipulatores alios ex aliis invenirent[5]). Contra ea etiam non pauca adhuc offendimus vitia sat perspicua, quae critici quum omnino non animadverterunt, tum minus apte correxerunt.

Proinde campus ad Horatii poemata recte vel emendanda vel interpretanda etiamnunc latissime patet, sed jam propterea, fore, ut, quod multi viri summis ingeniis exquisitaque doctrina voluerunt, pauci potuerunt, id mihi tironi plus contingat, nequaquam spero, quia artem criticam, cujus specimen exiguum perscripturus sum, rem unam esse omnium difficillimam neuti-

1) Bernhardy, Grundriss der Römischen Litteratur, pag. 59.
2) Cfr. Sueton, de illustr. gramm. 2 et 24 et quae annotabimus ad Od. II, 13, 33 sqq.
3) Cfr. Sueton vit. Hor. extr.
4) Institut. orat. I, 8, 6.
5) Quantum hoc in genere praeter alios Peerlkampius commiserit, nullum Horatii lectorem lateat.

quam ignoro. Itaque ad propositum aggrediar non perficiundi spe, sed experiundi voluntate.

Ceterum quod ad modum exponendi spectat, in universum utique notissimam sequar Wolfii[1]) sententiam: „qui critici exemplo Mureti, Bentleji, aliorum notas et emendationes perscripserint explicatius, eos fere tum quoque, quum erraverint, melius erudire, quam quorum edicta sint nuda in hanc speciem: sic scribe, sic lege, aut, quod ne Latinum quidem est, forte legendum.“ Neque tamen illud approbare possum, quod complures viri docti res non tam directa ratione deducentes, quam alieno sermone diducentes conficere instituerunt, namque tali digressione, si verum quaeris, plerumque nihil proficitur. Hic quoque, ut alibi teneas: est modus in rebus, sunt certi denique fines, quos ultra citraque nequit consistere rectum.

1) Praefat. ad Mureti var. lect. libr. XVIII cum observat. jur. libro singulari. Halle 1791.

ANIMADVERSIONES CRITICAE IN Q. HORATII FLACCI ODARUM LIBRUM SECUNDUM.

Od. II, 13 sqq.

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis et aquosus albo
Corpore languor.

Qui fieri potuerit, ut nomen hydrops pro hydropico positum putaretur, jam propterea haud facile intelligas, quod poeta subinde diserte addit: „nisi causa morbi fugerit venis et aquosus albo corpore languor.“ Neque ipse hydropicus, sed tantum ejus morbus crescit et dirus ob mille sua taedia dicitur[1]). Hydrops autem sibi indulgens est i. qu. luxuri-

1) Qui ipsum hydropicum ob ingratum adspectum volunt dirum vocari, inter alia conferunt Hannibalem dirum Od. III, 6, 36. eumque censent ob alterum oculum amissum adspectu dirum incessisse. Ut de eo taceam, illud carmen esse lyricum, non satiricum, cui talem notationem libenter concedas, tamen jam ipsum locum Horatianum, ubi res a majoribus praeclare gestae recensentur, illam explicationem nullo pacto admittere non tacitus praeteream. An Horatium putas majores ideo laudibus extulisse, quod infecerint aequor sanguine Punico Pyrr-

ans. Sunt enim hydropis tres species, tympanites, ascites, leucophlegmatia, quae postrema hydropis est principium atque inde oritur, quod alba pituita (λευκὸν φλέγμα) in corpore copiosior exsistit. Huc igitur Horatianum indulgens sibi referas. Ecqua vero ratione hydrops morbus sitim pellat? Imo idem sitim exitat vehementissimam et desiderat aegroti sitim, inediam permultaque alia. Cfr. Cels. de med. III, 21. Itaque verbum pellit non potest non ad hydropicum aut ad medicum referri. Neutrius tamen mentio facta est, quamobrem nihil nobis restare videtür, nisi ut levi mutatione pellis pro pellit reponamus. Alteram personam, etsi paullo ante legerant, librarii ad nomen hydrops inscite applicarunt.

Od. III, princ.

Aeqùam memento rebus in arduis
Servare mentem, non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Laetitia, moriture Delli.

Ex perpaucis Cdd. nonnulli viri docti non secus ac bonis receperünt. „Ea, inquit Bentlejus, notissima est constructio τοῦ secus.“ Quasi notissima quaeque Horatio vindicanda exquisitius insoleutiusque dicta rejicienda et emcndanda

humque et ingentem cecidcrint Antiochum Hannibalemque facie deformatum? Siccine Quintilianus institut. orat. VIII, 2, 9. interpretatus sit, quum scriberet: „proprie dictum id est, quo nihil inveniri possit significantius, ut — Horatius acrem tibiam Hannibalemque dirum?“ Dirus potius Hannibal ille est, qui ipso Horatio interprete Od. IV, 4, 42 sqq. per urbes Italas ceu flamma per taedas vel Eurus per Siculas equitavit undas. Ita laudes majorum Romanornm gravissime concluduntur, quum altera adjectivi dirûm explanatione inepte perorentur.

sint. Hic, ut mihi quidem videtur, res paullo altius repetenda est. Poeta praeceptum dedit bipartitum. Quodsi legimus non secus ac bonis, ambae partes aeque graves redduntur. Id quidem vir quidam doctus hanc ob caussam improbavit, quod auctor felicitatis notionem alteri ut primariae voluerit subjectam loco additamenti, quo nec in contrariam partem modum excedendum esse quasi praeteriens admoneret: id quod in oculos incurrat, quum mentem objectum grammaticum ut in enuntiatione interposita novo praeditum sit attributo, quod sit in verbis ab insolenti temperatam laetitia. Sed novum attributum in re antegressae plane opposita pernecessarium erat, quare, quid hinc peculiare in oculos incurrat, non perspicio equidem. Imo ut de lectione vulgata contrariam amplectar sententiam, posteriorem praecepti partem priore graviorem esse, me simplex movet negatio sine particula, quae vocatur adversativa, acrius illa quidem opponens quam hac particula adjecta. Quod dicendi genus nulli auctori non usitatissimum viri docti maximeque, qui ac praeferebant festinantius, non attenderunt. Cfr. Sat. I, 4, 69 sq. „Ut sis tu similis Caeli Birrique latronum, non ego sim Capri neque Sulci: cur metuas me?“ Epist. I, 11, 27. „coelum, non animum mutant, qui trans mare currunt.“

Od. V, 9 sqq.

tolle cupidinem
Immitis uvae. Jam tibi lividos
Dis tinguet Auctumnus racemos
Purpureo varius colore.

Quid poeta h. l. omnino dixerit, satis constare videtur, scilicet immaturam uvam ab Auctumno mox maturatum iri.

Minus ipsa verba constant, quamvis inter Lb. MSS. fere nihil discrepet, nisi quod nonnulli Lambiniani purpureus vario colore praestant. Bentlejus Auctumnum aut varium colore purpureo aut vario colore purpureum dici posse negans conjecturam, quae jam ante multo facta erat, hanc proposuit: „jam tibi lividos distinguet Auctumnus racemos, purpureo varios colore," praeter alia adhibens Ovid. Metam. III, 484. sq. „ut variis solet uva racemis ducere purpureum nondum matura colorem." Quem locum ex Horatiano plane expressum arbitratur, quia utrobiqne habeas varios racemos et purpureum colorem. Verumtamen quomodo verba poetae a se correcta intelligi voluerit, nobis non indicavit. Ut ea possint intelligi, ante omnia comma post racemos positum deleri debet, quo facto sane dictio quaedam Horatio frequentata evadit, sicut haec fere sententia: „jam tibi Auctumnus lividos racemos distinguet (wird umfärben), ut purpureo colore varii fiant." Cfr. Od. III, 16, 19. „late conspicuum tollere verticem." III, 23. init. „Coelo supinas si tuleris manus." IV, 9, 30 sq. „non ego te meis chartis inornatum silebo." IV, 13, 24, sq. „servatura diu parem cornicis vetulae temporibus Lycen." Sed racemi purpureo colore varii nondum sunt prorsus maturi, quae notio hic utique requiritur. Unde nec varios nec variis, (quod quis conjicere queat, verbum distinguet idem valere ratus atque discernet vel removebit,) pro vulgato varius substitui posse apparet.

Neque est, cur hoc Auctumni epitheton attentemus, modo ne cum purpureo colore copuletur, quae vocabula ad distinguet referenda sunt, quemadmodum dixit Ovidius Nuc. 31. „sibi vario distinguit poma colore." Nudum autem

Auctumni epitheton varius vim habet activam, ut idem sonet ac varians, atque cunctos complectitur maturandi gradus, ergo etiam extremum, quae in uvis est tinctura purpurea. Cfr. Epod. II, 19. sq. „gaudet insitiva decerpens pira, certantem et uvam purpurae," h. e. colore aemulam sive aequalem. Ovid. Metam. VIII, 676, de purpureis collectae vitibus uvae." Quod denique ad significationem adjectivi varius activam pertinet, praeter multa alia compares Epod. X, 10, „tristis Orion." Od. I, 3, 14. „tristes Hyadas." Sat. I, 1, 8. „victoria laeta." II, 2, 88. „tarda senectus." Haud infrequens hoc dicendi genus plane fugit interpretes Od. II, 7, 11. sq. „quum fracta virtus et minaces turpe solum tetigere mento." De humi prostratis turpiterque precantibus non cogitandum, quia supplices victoris vel genua vel pedes amplectuntur, neque mento solum attingunt.

Nec victi hic erant supplices, sed potius minaces. Neque magis turpe per se cruentum significat, nam pari modo etiam sexcenta alia, quae hic vel illic turpant, significare deberet, v. c. nigrum in re, quam albam esse oportet. Est turpe solum i. q. turpans solum, sicut legimus apud Ovidium Trist. I. 3, 93. sq. „foedatis pulvere turpi crinibus." Cfr. Hor. Od. III, 27, 53. „turpis macies."

Od. VI. 18. sqq.

amicus Aulon
Fertili Baccho minimum Falernis
Invidet uvis.

Pro fertili, quod in Cdd. plurimis exstat, pauci fertilis praebent, ut etiam Servius ad Virg. Aen. III, 553. legit

Ob sequens Baccho autem a librariis fertili pro fertilis substitutum esse longe probabilius videtur, quam vice versa fertilis pro fertili. Praeterea nudum Bacchi epitheton fertilis nondum ullo exemplo confirmatum, nec solum otiosum verum ideo etiam incommodum est, quia quasi alteri cuidam Baccho non fertili oppositum apparet. Denique ipsa hujus loci sententia fertilem Bacchum non admittit, etenim verba amicus fertili Baccho neutiquam declarant, cur in Aulone generosa vina proveniant, sed modo, cur multa, id quod ad verba sequentia minimum Falernis invidetuvis minime concinnum est. Proinde Bentlejus fertilis rectissime reposuit, sed secus cum Baccho conjunxit, quoniam Horatius fertilis cumgenitivo, neque cum ablativo copulavit. Cfr. Carm. Saec. 29. „Fertilis frugum pecorisque tellus.“ Sat. II, 4, 31. „Sed non omne mare est generosae fertile testae.“ Huc accedit, quod verbis fertilis Baccho non magis quam fertili Baccho nobilitas vini in Aulone provenientis indicatur, sed sola ubertas. Falsa vero constructione inductus Bentlejus, quum amicus jam vitiosum putaret, licet etiam dativo non addito aeque probabile fuisset ac v. c. Epod. X, 9. „sidus amicum,“ pro amicus suopte ingenio apricus substituit. Quae conjectura magis miranda videtur, quod ipse verbis Statii Silv. II, 2, 4. sq. „ qua Bromio dilectus ager collesque per altos uritur et prelis non invidet uva Falernis“ allatis recte animadvertit: „totum hunc Horatii locum vel casu vel de industria expressit.“ Clare igitur indicatam constructionem Horatianam (amicus Baccho) neglexit. Est autem amicus Baccho nihil nisi Baccho dilectus, ut Od. I, 26. init. „Musis amicus“ i. q. Musis adamatus, atque inde, quod Aulon Baccho

amicus est generositas vini Aulonis consequitur, qua notione carere non possumus. Ceterum postpositum nomen Baccho nullam praebet offensionem, praesertim quum Horatium in collocandis verbis magna usum esse licentia nemo nesciat.

Od. VIII, 21. sqq.

Te suis matres metuunt juvencis,
Te senes parci miseraeque nuper
Virgines nuptae, tua ne retardet
Aura maritos.

Vox aura tam varie explicata est, ut novi quid vix addere queas. Alii enim gratiam seu favorem, alii splendorem ac pulchritudinem, alii odorem tum unguentorum, tum ipsius Barines, alii spiritum sive afflatum amatorium intelligi volunt. Plerique vero interpretes odorem ab ipsa Barine emissum (Witterung) designatum esse contendunt, quam sententiam jam Gesnerus ita defendebat: „Si quid hic est foeditatis, id a poeta est, non a Fabro. [1]) Ponit enim profecto poeta imaginem tauri, qui captat auram, h. e. odorem juvencae, loquiturque ut Virg. Georg. III, 251, de equis: „si tantum notas odor attulit auras“ etc. Orellius: „Talia, inquit, non ad nostrum sensum dijudicanda, siquidem ab hujusmodi imaginibus ex ipsa rerum natura petitis minus abhorrebant Graeci et Romani.“ Quibus verbis apposuit Virg. Georg. l. c. et praeeunte Fabri genero Jerem. II, 24., quorum locorum altero de equis non de hominibus agitur, alter vero admodum ambiguus est.

---

1) Spectant haec ad verba Baxteri: „Tanaquillus Faber et putidus et foedus est, dum nescio quid de odore vaccarum crepat et juvencos putat tauros dici.“

Haec igitur sunt documenta, Horatium voce aura utique odorem Barines indicasse. Primum autem poeta nullam omnino tauri mentionem, nedum comparationem fecit. Deinde, quos memorat, juvencos et maritos non dixit in modum animalium ardore coeundi flagrare, ut auram Barines captare possint. Denique tota haec imago ab animalibus in homines translata a nullo auctore Romano aut Graeco adhibita est. Verum enimvero Horatius voce juvencis usus in hanc imaginem ultro devenisse atque eam cum praemissa ut affinem consociasse existimatur, quae carmen jocosum haud dedeceat. Sane adolescentulos poeta dixit juvencos, uti puellam viro nondum tempestivam alibi (Od. II, 5, 6) juvencam; sed tantum abest, ut iidem juvenci etiam libidinosi auramque Barines captantes perhibeantur, ut Barines aura a matribus ob juvencos suos metui dicatur. Cfr. Epod. I, 19 sqq. „assidens implumibus pullis avis serpentium allapsus timet magis relictis.“ Itidem nuper nuptae virgines non metuunt, ne mariti auram Barines captent, sed ne Barines aura illos retardet. Quid igitur nomen aura sibi velit? Supra v. 7 sq. Barinen juvenum publicam curam prodire legimus, hic autem de adolescentulis et recentibus maritis sermo est, qui a Barine, dum juvenes calefiunt, tantum tepefiunt, h. e. spiritu amatorio afflantur sive inficiuntur. Ergoaura Barines dumtaxat est spiritus amatorius. Similiter Lyce Od, IV, 13, 19 amores spirasse dicitur. Neque quidquam aliud aura significat Od. 1, 5, 11.

Od. X, 18, sqq.

quondam cithara tacentem
Suscitat musam, neque semper arcum
Tendit Apollo.

Bentlejus pro vulgato cithara e nonnullis Cdd. citharae recepit, non hoc velle Horatium censens, ab Apolline aliquam musam tacentem vel dormientem cithara suscitari, sed ab eo, cujus gestamina sint arcus et cithara, non semper arcum, sed aliquando et citharam tendi. Itaque musam citharae esse ipsam citharam, quam tacentem suscitet Phoebus, sicut poeta Od. II, 1, 9 „severae musa tragoediae“ dixerit. Nos citharae musam, si esset Horatianum, potius explicaremus citharae cantum. Sed cithara tacentem suscitat musam, quamquam sincerum existimo, nondum video recte explanatum.

Gesnerus musam interpretatur facultatem canendi, alii cantum, ita ut Apollo vel illam facultatem cithara pulsanda suscitare, vel ipsas voces cithara praemeditari et excitare, h. e. se ipsum ad canendum adigere putetur. Utraque vero enodatio non tantum altius repetita, sed etiam ab Apolline, musarum duce, alienissima est. Propterea, si cithara cum verbo suscitat jungendum esset, saltem numerum singularem tacentem musam pro plurali positum haberem. Musis tamen, quia de solo agitur Apolline quum canente, tum arcum tendente, locus non concedendus est, quapropter cithara cum tacentem copulamus copulatumque cithara tacentem musam valere arbitramur cithara non canentem, das verstummte Zitterspiel.

Od. XI, 21, sqq.

Quis devium scortum eliciet domo
Lyden? Eburna, dic age, cum lyra
Maturet in comptum Lacaenae
More comas religata nodum.

Epitheton devium alii aliter interpretantur. Ritterus illud cum eliciet domo arctius junxit, „nam, inquit, domo (sua) dum elicitur scortum ad amicos procul a via in nemore jacentes, ipsum devium fit, h. e. de via deversurum.“ Malim equidem devium ad scorti indolem referri idque propter verbum eliciet. Nimirum qui domo elici debet, aures habet obstinatas aditumque difficilem, quare devium hic i. q. inaccessum, unzugängig. Cfr. Od. III, 11, 7 sqq. Neque verba subsequentia, quae in Lb. MSS. non ita multum variantur, jam recte explicata reperio. Falsa eorum junctura[1] et nulla fere appositionis Lacaenae more habita ratio interpretes egit transversos. Romanae mulieres, ut jam Terentius Heaut. II, 2, 11 ait, „dum moliuntur, dum comuntur, annus est.“ Hac de causa poeta Lyden jubet maturare et capillos in nodum Lacaenae more comptum religare, neque süo more artificiose ornare. Jam vero critici non comptum, sed incomptum desiderabant et quum alterum non pauci Cdd. offerant unusque Torrentianus incomtam, a librario ad v. 1. comam applicatum praestet, Bentlejus non solum incomtam comam recipere, verum etiam nodum in nodo commutare non cunctatus est, pro more ille quidem et penso sno de Ho-

1) Alii construunt: „more Lacaenae religata comas in comptum nodum,“ alii: „religata comas in comptum nodum (h. e. ut fiat comptus nodus) more Lacaenae.“

Horatio (ut inquit ad Sat. II, 3, 156) bene meriturus. Pariter corrupit Od. I, 6, 17 sq. „proelia virginum sectis in juvenes unguibus acrium“ supposito verbo strictis Horatii urbanitatem in rusticitatem convertens. Omnino enim oxymora Horatio valde adamata cane pejus et angui vitabat, ut nos docet ad Sat. I, 3. 25. Sed Sat. II, 6, 46 „quae rimosa bene deponuntur in aure“ similiaque non attentavit. Est igitur comptum Lacaenae more, ut ipse poeta jam composuit, nihil aliud quam incomptum sive inornatum sive simplicem Lacaenae more. Ceterum illud epitheton quispiam Bentlejo praeeunte ad comas accommodatum malit, quem ad modum legimus Od. III, 14, 32 „murreum nodo cohibere crinem.“ Attamen Horatius epitheta creberrime transposuit et a nominibus superioribus in inferiora transtulit. Cfr. Od. I, 20, 9. I, 31, 9. II, 9, 3. (Epist. I, 1, 94) III, 6, 38. III, 16. 34. Sat. I, 6, 59. II, 4, 37. Similiter atque h. l. Bentlejus erravit Od. II, 16, 26.

Od. XII, 25 sqq.

Quum flagrantia detorquet ad oscula
Cervicem, aut facili saevitia negat,
Quae poscente magis gaudeat eripi,
Interdum rapere occupet?

Pro vulgato conjunctivo occupet Bentlejus indicativum occupat e pluribus MSS. restituit, quo nihil duxit certius. Ritterus ex prava assimilatione proximi gaudeat in permultis libris occupet exstitisse judicat. Oscula enim, quae mulier, saevitia quamvis facili neget, ab eadem raptim et sponte auferri non posse. Imo Flaccum a deteriore ad melius ascen-

dere, quatenus Licymnia Maecenatis oscula aut detrectet, aut facili saevitia neget, aut rapere occupet. Sane haec admodum speciosa videntur, minime vero recto stant talo. Primum enim, ut alia praeteream, conjunctivo occupet admisso verbis interdum rapere occupet non minus quam antegressis quae poscente magis gaudeat eripi opinio Horatiana, non res facta continetur, neque ulla oritur dictorum repugnantia. Deinde quasi in oculos incurrit, a poeta ultimo versiculo sententiam paenultimi convertendo egregie exaggeratam esse, id quod vel solo verbo rapere pro eripere repetito satis declaratur. Tum nemo, puto, conjunctivum occupet summovisset, si interdum vel modo etiam in versum paenultimum insertum esset. Non dissimiliter abest modo Sat. II, 3, 73 „fiet aper, modo avis, modo saxum et quum volet arbor."

Od. XIII, 33 sqq.

Quid mirum, ubi illis carminibus stupens
Demittit atras belua centiceps
Aures et intorti capillis
Eumenidum recreantur angues?

Quin et Prometheus et Pelopis parens
Dulci laborum decipitur sono,
Nec curat Orion leones
Aut timidos agitare lyncas.

Hi versus maximeque stropha paenultima quam maxime notabiles sunt, quod documento sunt et manifestissimo et firmissimo, poemata Horatiana jam perantiquis temporibus interpolata esse in modum teterrimum. Neque id mirandum, nam-

que jam Horatii aetate (v. Epist. II, 108 sqq.) vel levis populus uno calebat versus scribendi studio, ut pueri patresque severi crinibus laurea Apollinis vinctis coenarent et carmina servis librariis dictarent. Unde factum est, ut adeo adhuc vivi Martialis epigrammata (v. X, 100.) corrumperentur.[1] Mirum autem videatur, quod nondum ullus criticus ad insignes, quae h. l. prostant, ineptias animum attendit. Statim prima verba quid mirum versificatorem Horatio contradicere voluisse indicant, quippe ad v. 29 sq. „Utrumque sacro digna silentio mirantur umbrae dicere" spectant, sicut sequens illis carminibus eodem referendum est, neque ad verba proxima. Quam introductionem refutatio excipit una omnium absurdissima. Primum quidem illis carminibus stupens belua centiceps atras aures demittit, quum qui stupet aures potius arrigat vel acuat. Cfr. Od. II, 19. init. „Bacchum in remotis carmina rupibus vidi docentem — nymphasque discentes et aures capripedum Satyrorum acutas." Qui aures demittit, is vel languet vel timet aut etiam mentis est iniquae. V. Sat. I, 9, 20. Tum vero angues capillis Eumenidum intorti illis carminibus recreantur. Imo rumpuntur. Cfr. Virg. Ecl. VIII, 71. „Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis." Ovid. Amor. II, 1, 25 „carmine dissiliunt abruptis faucibus angues." Quas perversitates luce clariores jam per se nemo sobrius Horatio adscribat. Quid vero, quod partem dictorum Horatianorum rarissimo quodam casu etiam certissime compertam habemus? Nimirum L. A. Seneca sive alius, quisquis fuit, auctor in Apocolocynthosi Claudii Caesaris sub fine haecce

---

1) Praetera conferas, Bernhardy l. c. pag. 569.

scripsit: „Itaque quamvis podagricus esset, momento temporis pervenit ad januam Ditis, ubi jacet, ut ait Horatius, belua centiceps sese movens villosque horrendos excutiens.“ Solum igitur belua centiceps nobis restitit, reliqua sine dubio ab eodem homine stolido pessumdata sunt, qui etiam stropham postremam arroganter corrupit. Hoc enim auctore, nec Horatio Prometheus labores apud inferos exantlavit et locorum, qui conferuntur, alter (Od. II, 18, 35.) non minus quam hic interpolatus est, ut deinceps exponemus; alter (Epod. XVII, 67.), si est genuinus, non magis pertinet ad orcum, quam Aristot. Poet. XVIII, 5. *τό δὲ τέταρτον* (*εἶδος τῆς τραγῳδίας*) *ὁμαλόν οἷον αἵτε Φορκίδες καὶ Προμηθεὺς καὶ ὅσα ἐν Ἅιδου*, quibus verbis potius Aeschyli Prometheus et aliae tragoediae, quarum scena est in orco, distinguuntur. Huc accedit, quod etiam damnati cantus piorum poetarum, licet sedes habeant discretas, exaudire traduntur, cui perversitati fere respondet, quod idem fortasse versificator Od. II, 18, 40 procudit: „vocatus atque non vocatus audit.“ Videtur tam mirum auditum quam mirum ingenium habuisse. Leve est, quod Prometheus et Tantalus a tali ingenio etiam laborum decipi dicuntur, tamquam illorum, ut laborarent, plus minusve interfuerit. Quae sequuntur „nec curat Orion leones aut timidos agitare lyncas,“ ea praestat quidem praeter Cdd. Horatianos etiam Priscianus VI, 5, 26, sed jam ante ejus aetatem interpolata Horatii exemplaria adhibita sunt, neque nobis dubitare licet, quin tota haec stropha aeque ac paenultima non ita multo post Horatii obitum diffingeretur. Quin nonnulla scripta Horatio supposita, et elegi et epistola prosa oratione, jam Suetonio vid. vit. Hor. extr.) in manus venerunt.

Od. XIV, 5.

Non, si trecenis, quotquot eunt dies[1])
Amice, places illacrimabilem
Plutona tauris, qui ter amplum
Geryonen Tityonque tristi.

Compescit unda, scilicet omnibus,
Quicunque terrae munere vescimur,
Enaviganda, sive reges
Sive inopes erimus coloni.

Hunc locum nondum recte distinctum reperio. Quo factum est, ut idem etiam nunc sententiam contineat haud probabilem. Jam post primam stropham alii comma, alii colon, alii semicolon ponunt, nimis quidem curiosi ad verba post non facilius supplenda. Prima autem stropha ab altera puncto distincta longe gravior evadit subsequens sententia, modo non recte intellexeris et post hanc negationem comma posueris, quod vulgo perperam omittitur. Illud enim non, uti post interrogationem, praecise negantis est atque i. q. nostrum Nein acutum valet. Ei oppositum esse etiam, ja, non est ignotum, quamquam id fugit interpretes Sat. II, 5, 91 „non, etiam sileas.“ Cfr. Sat. II, 3, 97 ibique Orell. Multo tamen magis reprehendendum videtur quod critici post verbum enaviganda commate interpungere et insequentia sive reges sive inopes erimus coloni consociare consueverunt, a quo errore eos jam futurum erimus prohibere debebat, nam si haec verba cum proximis arcte jungenda essent, praesens sumus non minus necessarium foret, quam antea vescimur

1) Jam dudum collata sunt verba Homeri Od. XIV, 93. *ὅσσαι γαρ νύκτες τε καὶ ἡμέραι ἐκ Διός εἰσιν.* Vid. Greg. Cor. p. 64 Ed. Schaef. Vig. p 133 Ed. Herm.

dictum est. Praeterea inopes quidem regibus bene opponi possunt (cfr. Od. I, 4, 13 sq. „Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas regumque turres adde Sat. II, 1, 59.), nequaqnam vero inopes coloni quippe quibus unum tantummodo pauperum genus, neque cuncta contineantur, qua comprehensione hic carere non possumus. Unde liquet nomen coloni omnino non ad rus, sed ad orcum referendum et ab adjectivo inopes commate apposito sejungendum esse, ita ut eadem, quae modo praegressa est, sententia nonnihil tantum variata, repetatur ideoque" colon pro commate post verbum enaviganda restitui et post inopes verbum sumus suppleri debeat. Scite poeta iter in orcum faciendum adumbravit nosque omnes Styge trajecta colonos (Colonisten) fore ait. Ceterum falsam interpunctionem in Horatii poematis etiam nunc frequentius invenimus, veluti Epod. XVII, 21 sq. „Fugit juventas et verecundus color reliquit ossa pelle amicta lurida." Frustra et Bentlejus ora pro ossa restituit, quod Hauptius adoptavit, et ceteri critici in lectione vulgata defendenda sudarunt. Cemmate post nomen color inserto, ut junctura verborum plane sit eadem atque Od. II, 211, 5 sq. „Fugit retro levis juventas et decor," confusus locus erit sanissimus. Ossa cum pelle relinquit fugiens juventas, colorem luridum fugiens rubor. Solus fugiens rubor nec ossa nec pellem relinquit. Praeterea huc referam Od. I, 7, 27. „Nil desperandum Teucro duce et auspice Teucro," ubi alterum Teucro colo, quod postponitur, praeposito ad verba insequentia applicandum est. Quod ad nomen subinde idque cum gravitate repetitum pertinet, compares Od. III, 3, 60 sq. — Plane autem contorta adhuc sunt verba Od. I, 14, 11 sqq. „Quamvis Pontica pinus, silvae filia nobilis, jactes et genus et nomen inutile, nil pictis timidus navita puppibus fidit. Tu, nisi ventis debes ludibrium, cave." Poeta potius scripsit: „Quamvis Pontica pinus, silvae filia nobilis, jactes et genus et nomen inutile, nil pictis timidus navita puppibus fidit. Tu, nisi ventis debes ludibrium, cave." Verbum jactes cum nominativo conjunctum est, ut risit Od. I, 10, 11 sq, „viduus pharetra risit Apollo." Cfr. Tac. Hist. IV, 55. „Ipse e majoribus suis hostis populi Romani quam socius jactabat." Praeterea in apodosi et genus et nomen inutile omissum est erit, quem ad modum eris Od. II, 3, 24 „victima nil miserantis orci." Denique tu-cave plene est tu igitur cave, sicut Od. I, 9, 5. II, 5, 9 et alibi, quibus in locis pro puncto plerumque praefixo colon reponas, igitur mente concipiens.

Od. XVI, 25 sqq.

Laetus in praesens animus quod ultra est
Oderit curare et amara lento
Temperet risu: nihil est ab omni
Parte beatum.

V. l. nonnullorum Cdd. laeto pro lento non solum post vocem laetus, ut Orellius judicat, intolerabilis, sed etiam per se jam futilis est, quoniam laetus risus contrapositum (tristem risum) non habet. Verum tamen et lento Bentlejo displicuit, quod nemo alius lentum risum dixerit atque Horatius, quum amara et temperet figura a saporibus ducta scripserit, utique eadem metaphora claudere sententiam debuerit. Quamobrem leni substituendum suasit, dulci quidem vel grato minus probans. Nihil autem modo conferenti Ovid. Trist. V,

4, 15. „Fert tamen, ut debet, casus patienter amaros" epitheto lento integrius videatur, etsi id nondum sat dilucide expositum est. Gesnerus; „laeto risu, inquit, temperare amara nemo sanus potest, sed lento, frigido, qui se non valde moveri, sed lente ferre molestias indicet." Orellius lento interpretatur quieto, moderato (gelassen.). Rittero judice „lentus est risus, qui non facile evincitur vel remittit, hinc tranquillus." Fluxit omnis opinionum discrepantia ex hypallage non animadversa. Proprie enim amara lentus temperet risu dicendum erat, sed illius hypallages exempla apud poetas permulta exstant. Praeter ea, quae supra ad Od. XI, 23 allegavimus, contendas Od. II, 17, 32 „nos humilem feriemus agnam." Virg. Aen. II, 231 „tergo sceleratam intorserit hastam" VII, 343 „tacitumque obsedit limen Amatae" XII, 219 „incessu tacito progressus." Ceterum amara risu temperare i. q. amara cum risu temperare. Apte Orellius comparavit Anthol. Pal. I, p. 349. Ὁ τὸν πολυστένακτον ἀνθρώπων βίον γέλωτι κεράσας Νικαεὺς Φιλιστίων κτλ.

Od. XVIII, 29 sqq.

Nulla certior tamen
Rapacis orci fine destinata
Aula divitem manet
Herum. Quid ultra tendis? Aequa tellus
Pauperi recluditur
Regumque pueris, nec satelles orci
Callidum Promethea
Revexit auro captus. Hic superbum

Tantalum atque Tantali
Genus coercet, hic levare functum
Pauperem laboribus
Vocatus atque non vocatus audit.

Hos versiculos insulsi alicujus versificatoris Romani, neque Horatii esse quovis paene vocabulo comprobatur. Nec veri est dissimile, auctorem fuisse eundem, qui exitum odae hujus libri tertiae decimae interpolavit. Certe repetita mentione quum Tantali, tum maxime Promethei in orcum demissi, quo omnino non pervenit (v. Apollod. biblioth. II, 5, 4. ibique Heyn. T. I, p. 355 sq.), ad illud credendum adducimur. Imo idem fortasse etiam Epod. XVII, 67. inseruit: „optat Prometheus obligatus aliti," sc. quietem. Aliti enim Prometheus non obligatus, sed ad Caucasum affixus erat, ubi aquila ejus hepar semper renascens quotidie depascebat. Praeterea versificator contumacem Promethei indolem prorsus convertit, ut utique novi quid fabricaretur. Videtur igitur Prometheum sic in deliciis habuisse, ut vetus quidam pictor cupressum. Sed percenseamus singula. Cuncta tam ob dictionem quam ob dicta non veremur meras quisquilias judicare. In universum δὶς ταὐτὸν ἡμῖν εἶπεν ὁ σοφὸς Αἰσχύλος. Nempe quod Horatius jam ante dixit. „Tu secanda marmora locas sub ipsum funus et sepulcri immemor struis domos", id interpolator latius persecutus est. Nihilominus mutilam statim protulit hanc sententiam: „Nulla certior tamen rapacis orci fine destinata aula divitem manet herum", namque desideramus quam pauperem servum. An solum divitem herum aula Plutonia maneat? Minime vero. Neque talia scripsit Horatius. V. Od. I, 28, 15. II, 14, 9 sqq. III, 1, 16. Deinde, postquam clientes ab Horatio memorati sunt, patroni, non heri

mentio fieri debebat. Tum quid verbis rapacis orci fine destinata proprie significetur, vel plurimis virorum doctissimorum contentionibus in modum quendam probabilem nondum dilucidatum est, nec unquam poterit dilucidari. Nihil opus erat, nisi simplex epitheton Plutonia, uti Od. I, 4. 17. „Jam te premet nox fabulaeque Manes et domus exilis Plutonia." Quod insequitur enuntiatum ex Od. I, 4, 13 sq. et III, 1, 14 sq. confectum: „Aequa tellus pauperi recluditur regumque pueris", quomodo cum mutila sententia modo prolata bene conciliari possit, videant me acutiores. Sed intellectu facillimum videtur, quam incondite haec agglutinata sint: „nec satelles orci callidum Promethea revexit auro captus". Qualis, quaeso, ista est conjunctio telluris omnibus aeque patentis cum Prometheo a satellite orci non revecto? Neque satelles orci, sed ipse orcus ab Horatio (Epist. II, 2, 178.) non exorabilis auro perhibetur. Ad orcum autem perperam nudo hic pronomine transgressus interpolator superbum opponit pauperi orcumque ait Tantalum atque Tantali genus coercere, quod verbum non liquet, qua ratione explicandum sit. Solius Tantali et Tantalidarum coercitionem libenter aequi bonique facientes desideramus saltem unda vel Stygia unda vel Styge secundum Od. II, 14, 9. II, 20, 8. Virg. Aen. VI, 434. Finis tamen coronat opus. Orcus scilicet vocatus atque non vocatus audire narratur. Ohe, jam satis est! Quid tandem audiat non vocatus? Qui adhibentur loci, ubi de vocati atque non vocati ope ferenda, neque de ipsa auditione sermo est, cuncti alienissimi sunt. Non vocatus audit nihil est nisi non vocantem sive non precantem audit, quod perabsurdum. Tametsi haec farrago spurcissima est, ejus tamen auctor jam Servium decepit,

utpote initium ad Virg. Aen. VI, 152. sine ulla fraudis suspicione citantem, nisi hic quoque locus, ut permulti alii, interpolatus est.

Od. XIX, 21 sqq.

Tu, quum parentis regna per arduum
Cohors Gigantum scanderet impia,
Rhoetum retorsisti leonis
Unguibus horribilique mala.

Veritus Bentlejus, ne verus leo intelligatur, quod multi una cum tigridibus et pardis Bacchum stipare consueverint, horribilisque pro horribilique rescribi maluit, particula que item transposita, quem admodum v. 28. „pacis eras mediusque belli", v. 32. „ore pedes tetigitque crura" et alibi creberrime. Sed qui modo meminerit, Bacchum a piratis Thyrrhenis vinculis constrictum sese in leonem commutasse et illos hac specie perterruisse, de recta hujus loci sententia ambigere non poterit, necnisi de unguibus leonis, in quem Bacchus se mutaverat, ergo de unguibus ipsius Bacchi leoninis cogitabit. Vel si tuis mente conceperis, omnis ambiguitas disparebit. Idem pronomen possessivum, ut fit frequentissime, omissum[1]) passim interpretes multum vexavit, v. gr. Sat. II, 1. extr. „Solventur risu tabulae", i. qu. risu tuo sive satira tua tabulae sive leges resolventur. Qui de tabularum cera ridentibus judicibus et prae risu sudantibus in manibus soluta cogitant, eos velim reputare, meris nostris additamentis nihil non explanari posse, sed proprie nihil explanari. Ceterum poeta leonis un-

1) De pron. poss. suppl. conferas, quae Ritterus ad Od. III, 23, 17 annotavit.

guibus horribilique mala dixit pro vulgari horribilibus leonis unguibus malaque, sicut Od. I, 5, 5 sq. „fidem mutatosque deos“ pro „mutatam fidem deosque.“ Cfr. Od. II, 13, 17 sqq. „sagittas et celerem fugam — catenas Italum robur.“ Od. III, 5, 7. „curia inversique mores.“ Sat. I, 6, 9. „potestatem Tulli atque ignobile regnum“. Sat. I, 3, 129. „cantor-atque optimus-modulator“. Epist. I, 1, 17. „custos rigidusque satelles“. Epist. I, 17, 57. „damnis verisque doloribus“. A. P. 393. „tigres rabidosque leones“.

Od. XX, 1 sqq.

Non usitata, nec tenui ferar
Penna biformis per liquidum aethera
Vates, neque in terris morabor
Longius, invidiaque major.
Urbes relinquam. Non ego, pauperum
Sanguis parentum, non ego, quem vocas
Dilecte Maecenas, obibo,
Nec Stygia cohibebor unda.

Mirari licet, quod vel plurimis virorum doctorum disceptationibus verba simplicissima quem vocas nondum recte enodata sunt. Jam scholiastae ea non concoquentes jungebant quem vocas dilecte (i. e. quem tu dilectum sive nomine dilecti amici vocare soles), violenter quidem Orellio judice et contra ipsius metri rationem. Nuper tamen Ritterus illam juncturam rursus praetulit, quod neque verba quem vocas juste explicare, neque cur dilecte Maecenas nunc vocetur, satis declarare possimus. Sed idem ad Sat. I, 5, 27—28. sententia, ut videtur, mutata dilecte Maecenas hac de causa com-

dosuit „quod (poeta) suum amorem Maecenati probaturus erat.“ Neque verba quem vocas juste explicatu admodum difficilia videntur, dummodo antecedentia satis respexeris. Horatius hoc loco, ut alibi (Od. III, 30. IV, 9.), poemata sua non interitura esse gloriatur, quamvis vulgi invidia intercedat. Hac enim, qua per totam fere vitam vexabatur (v. Sat. I, 6, 45 squ. II, 1, 74 sqq. II, 6, 47 sq. Od. II, 16. extr. IV, 3, 16.), se dicit majorem animoque, quem repetitum non ego (cfr. Epist. I, 19, 37 sqq. Sat. I, 6, 58.) satis prodit, commoto vulgus malignum perstringit. Itaque verba quem vocas non minus quam pauperum sanguis parentum vulgi sunt invidi, neque ipsius poetae, illisque significatur convictor tuus, his libertino patre natus, ut legimus Sat. I, 6, 46 sq. Quid, quod ipsum Augustum intima haec familiaritas, quae Horatio cum Maecenate intercedebat, non nihil videtur offendisse? Certe scripsit ad Maecenatem, si Suetonio vit. Hor. fidem habere licet, haecce: „Ante ipse scribendis epistolis amicorum sufficiebam, nunc occupatissimus et infirmus Horatium nostrum a te cupio abducere. Veniet erga ab ista parasitica mensa ad hanc regiam et nos in scribendis epistolis adjuvabit.“ Insertam autem objectationem vulgarem Horatius Sat. I, 9, 48 sqq. scite refutavit, quamquam eum invitationibus Maecenatianis obedientissimum fuisse nobis non negandum est. V. Sat. II, 6, 29 sq. II, 7, 32 sqq. Jam si quem vocas nihil est aliud nisi convictor tuus idemque non ex opinione vulgari parasitum, sed ex mente Horatiana amicum designat, satis, puto, patescit, cur poeta dilecte Maecenas addiderit. Contra quem vocas dilecte prorsus futile esse jam inde elucet, quod haec appellatio non perinde ut pauperum sanguis

parentum pro impedimento quodam immortalitatis Horatianae haberi potest.

Od. XX, 9 sqq.

Jam jam residunt cruribus asperae
Pelles et album mutor in alitem
Superna nascunturque leves
Per digitos humerosque plumae.

Peerlkampius, cui assensus est Meinekius [1]), hanc stropham multas ob causas proscripsit. Repraesentatam poetae transfigurationem ab hoc carmine abhorrere, neque verba Horatio digna esse arbitratur. Imaginem aliquam, quae sola exsistat in cogitatione mentis divino igne correptae, non nimis corpoream esse, neque per omnes minutias depingi debere. Figuram cycni etiam sine hac stropha satis intelligi. Horatium se terra levantem alas accipere et jam volare. Quis in ea cogitationis celeritate manum quasi ad crura deducat, pellem asperam tentet digitos et humeros contempletur suamque ipse transformationem describat, tamquam spectator aliquis vel poeta Ovidio similis? Sed quod praecipue in hac imagine indicet pictorem ineptum et agrestem, esse asperas pelles in cruribus, rem plenam odii et fastidii. Praeterea numerum singularem pellis, nec pluralem scribendum fuisse et in metamorphosi aequalitatem quandam deesse. Incepisse grammaticum a cruribus et progredi ad superna hicque primum humerorum, mox digitorum mentionem exspectari, Denique, si Horatius dixisset mutor in alitem, eum non statim repetiturum fuisse ales visam Hyperboreos campos. Graecos poetas non semel usos esse tali imagine, neminem tam inepta metamorphosi.

1) Meinekius: „Tertiam carminis stropham, indecora transmutationis in alitem descriptione, spuriam esse non fugit Peerlkampium“.

Primo sane obtutu haec stropha nobis minus placet, sed Horatius etiam veras corporis immutationes in modum a nostro sensu alienum saepius descripsit. Cfr. Od. IV, 13, 9 sqq. „Importunus enim transvolat aridas quercus et refugit te, quia luridi dentes, te quia rugae turpant et capitis nives.“ Epod. VIII, 3 sqq. „Quum sit tibi dens ater et rugis vetus frontem senectus exaret hietque turpis inter aridas nates podex, velut crudae bovis. Sed incitat me pectus et mammae putres equina quales ubera, venterque mollis et femur tumentibus exile suris additum!“ Epod. XVII, 21 sqq. „Fugit juventas et verecundus color, reliquit ossa pelle amicta lurida“. Cur igitur imaginem hoc loco propositam tam aegre feramus, ut Horatio eam indignam judicemus? Ac tantum abest, ut insequens ales nomen nobis documento sit, hanc stropham spuriam esse, ut contrarium inde colligamus. Bene enim id attendendum, poetam diversis usum esse temporibus, primum quidem praesenti (residunt — mutor — nascuntur) et deinde futuro (visam — noscent — discet), quae consecutio, si non pernecessaria, certe perquam concinna nobis videtur. Quod porro Peerlkampius etiam numerum pluralem asperae pelles reprehendebat, postquam modo legit in terris morabor — urbes relinquam, id potius mirandum quam refutandum est. Nec majoris est momenti, quod adverbio superne metrum violatum opinabatur, namque superna ct nonnulli MSS. praestant et post Muretum multi viri docti, in quibus Bentlejus et Fea, recte praetulerunt. Denique haud scio, an omnem poeta declinasset offensionem, si pelles et plumas, quales intellexit, cycneas expresse dixisset, quomodo scripsit Ovidius Trist. IV, 8 princ. „Jam mea cycneas imitantur tempora plumas.“

SENTENTIAE.

1. Aesch. Prom. 428 sic scribendum est:
   Ἄτλανθ' ὃς αἰὲν ὑπείροχον σθένος
   Κραταιῶν, οὐράνιόν τε πόλον
   Νώτοις ἐρείδων ὑποστενάζει·

2. Soph. Aj. 770 verba:
   εἶτα δεύτερον δίας Ἀθάνας,
   ἡνίκ' ὀτρύνουσά νιν — τότ' ἀντιφωνεῖ δεινὸν
   ἄρρητόν τ' ἔπος·

   ab interpretibus non recte explicata esse videntur.

3. Versus Horat. carm. IV, 8, 17 interpolatus est.

4. Tacitus in Germania versatus est.

5. Cic. Tusc. disp. 2, 16, 37 corrigendum:
   militiam vero (nostram dico, non Spartiatarum,
   quorum procedit agmen ad tibiam et qu. s.

6. Catull. I, 8 cum Bergkio legendum est:
   Quare habe tibi quidquid hoc libelli
   Qualecunque quidem est, patroni ut ergo
   Plus uno maneat perenne seclo.

Horace